

De parte rectoris. Item rector habeat terciam partem de signeto propter speciales labores, quos facit circa usum conservatorii.

Forma signeti. Nos N., rector alme universitatis studii Lypcensis, recognoscimus tenore presencium publice profitentes discretum virum N., clericum N. dyocesis, in artibus vel in theologia etc. actu studentem, nostre universitatis esse membrum bene meritum atque dignum. Cui in causa tali N. contra quendam N. armigerum vel civem etc. talis loci N. dyocesis N. intentanda presens signetum decernimus assignare ad aliam vel alias causam vel causas minime valiturum. Datum¹⁾ anno domini m° etc. die decima mensis Aprilis nostri officii sub sigillo etc.

10

14.

Forma littere recognitionis ac promocionis.

Formular für ein Zeugnis über die an der Universität erlangten Grade und die an ihr bewiesene Lehrthätigkeit.

Universis ac singulis sancte matris ecclesie katholice filiis nos N. etc., rector alme universitatis studii Lipezensis, totaque communitas magistrorum ac doctorum studii eiusdem in Christo virginis filio salutem firmamque ac plenam noticiam subscriptorum. Dignum arbitramur viros benemeritos honoris titulo insigniri eloquio veritatis ewangelice istud conprobante: „Nemo lucernam accendit, ut eam sub modio ponat aut in abscondito, sed supra candelabrum, ut ingredientibus luminis conspiciant claritatem“. Sane cum venerabilis vir N. Merßburgensis diocesis studiorum exercitacione, morum honestate, laudabili conversacione per plures annos in prefata nostra universitate rutilaret rectoratumque universitatis eiusdem pro tempore suo laudabiliter gubernasset, virum se suis actibus ostendit digne commendandum, qui succedente tempore theoloice facultatis vestigiis studiose inherendo per venerabiles eiusdem facultatis decanum nominatim magistrum N. p. ceterosque magistros rite est assumptus et gradatim iuxta morem universitatis et theoloice facultatis ascendendo primo baccalariatum, deinde licenciaturam in sacra pagina regulariter est adeptus, postremo etiam in publica sollempnitate universitatis antedictae premissa aula doctorali, presidente sibi egregio viro N. sacre theoloie professore, vicecancellario eiusdem protune facultatis, magisterium seu doctoratus gradum in theologia cum solempni birreti inposicione per manus eiusdem N. anno domini m° cccc° etc. die vero mensis etc. publice et decenter est consecutus et post suam promocionem fere ad unum annum legendo et disputando in eadem theoloica facultate tanquam magister honorifice cathedre prefuit doctorali, ob id eundem N., sacre theologie professorem, omnibus prelatibus dominis, quibuscunque dignitatibus effulgeant, presencium inspectoribus ea, qua possumus et iuste debemus, diligencia commendamus attentius supplicantes omnibus et cuilibet sigillatim, quatenus ipsum nostre universitatis intuitu benigne suscipere et in singulis suis

¹⁾ A'': Datum Lipezk anno domini etc. die decima mensis Maii rectoratus sub sigillo.